

men communius censent peccatum fore solum veniale, secluso contemptu, et nullum si rationabilis adesset causa; quia non majus est peccatum sacra hæc objecta lavare cum debita reverentia, quam tangere: at communiter docetur ea sine causa excusanti tangere, esse duntaxat peccatum veniale. Ergo. Verum communis praxis est ut hæc a laicis prima et secunda vice non laventur sine licentia episcopi aut vicarii ejus.

Si sacra non existeret piscina, aut insufficiens esset, aqua lotionis in locum decentem projici posset, v. g., in cœmeterium, inter pavimenta ecclesiæ, etc.

§ IV. — Velum calicis, bursa, manutergium, etc.

1^o Rubrica, parte 2, tit. 1, n. 1, statuit ut sacerdos missam celebraturus, calicem parva palla linea et *velo serico* tegat. Veli hujus mentionem faciunt antiqui auctores, ut ostendit *Gavantus*. Ordinarie ex eodem panno conficitur ac casula: at si casula non ex serico, sed ex crassiore conficeretur panno, velum nihilominus sericum esse deberet ex Rubrica, ut observat *Romsée*.

2^o Super velo ponitur bursa coloris paramentorum, in qua est corporale plicatum: sic præscribit Rubrica citata. Cum ad ornamentum calicis pertineat, ex eadem materia ac velum fieri convenit, et ejusdem coloris esse debet ac ornamentum. Convenit insuper ut pars ejus interior panno serico simplicis et uniformis coloris, vel, ut fit communius, tela linea alba tegatur, propter honorem corporali sacramento debitum.

Utrumque, scilicet velum et bursa, una cum sacerdotibus ornamentis benedicuntur, et speciales pro ipsis non existunt benedictionis formæ.

Qui celebrant sine velo, et corporale deferunt sine bursa, non bene agunt, inquit *Gavantus*, attestans S. Pium V dispensavisse cum Hispauis ut corporale extra bursam ferre possent: non tamen probabiliter peccant, quia velum et bursa ob solam decentiam requiri videntur. Vide *S. Li-gorium*, l. 6, n. 395.

3^o Rubrica, parte 1, tit. 20, præscribit insuper, ad præparationem altaris et ornamentorum ejus, ut sint ad cornu epistolæ « parva campanula, ampullæ vitreæ vini » et aquæ, cum pelvicula et manutergio mundo in fenestella, seu in parva mensa ad hoc præparata. » Objecta ista non benedicuntur; sed reverentia erga divinum sacrificium exigit ea esse munda et nitida, ita ut ad mensam vulgarem decenter adhiberi possint.

ARTICULUS OCTAVUS.

DE VESTIBUS SACRIS.

Præter vestem talarem consuetam gallice, *soutane*, quæ ad celebrandam missam necessaria est, vestes sacræ proprie dictæ sunt amictus, alba, cingulum, manipulus, stola, casula et biretum: in missa soleinni requiruntur insuper pro ministris et officariis dalmaticæ et cappæ.

1^o Amictus, sic dictus a verbo *amicire*, seu *cooperire*, in octavo sæculo introductus fuit, juxta communem sententiam, ad tegendum collum eorum qui altari serviebant; tunc enim omnes, laici et clerici, collo nudo incedebant, quod indecens visum est ad altare. Ratio mystica fuit ut vox castigata Deo consecraretur, ut dicit Pontifex in ordinatione subdiaconi, hanc vestem imponendo.

Paulo post amictus fuit habitus velut quoddam ornamentum ad instar veteris ephod, quia humeros et pectus involvebat. Romæ et in pluribus aliis ecclesiis capiti imponebatur, et ministri eo velut galea contra diabolicos incursus muniti, ad altare procedebant: qui ritus adhuc viget apud quosdam religiosos et in nonnullis ecclesiis tempore hiemis. Idcirco eum sumendo dicimus: *Impone, Domine, capiti meo galeam salutis, ad expugnandos diabolicos incursus*. Nunc, ex Missali Romano et ex aliis communiter Missalibus, capiti imponitur et mox ad collum declinatur, ut vestium collaria circumtegat: utraque igitur ratio mystica, castigatio vocis et sensuum custodia memoranda est.

Debet autem fieri ex tela alba, linea vel cannabia, duas

habere cordulas, et in medio crucem depictam, ut supponit Rubrica de sacerdote dicens: « Accipiens amictum » circa extremitates et chordulas, deosculatur illud in medio ubi est crux, et ponit super caput, etc. » Adverte eos qui amictum sibi imponunt se signare non debere manu et amictu simul, ut quidam immerito faciunt. Ita *Gavantus*.

2° Alba ita vocatur a suo colore, quasi diceretur vestis alba. Apud Græcos dicitur poderis, a verbo *πω*; *pes*, et apud Latinos *talaris*, quia ad talos descendit. Personæ honorabiliores inter Romanos hanc deferre solebant vestem, quæ communior facta est clericis sacras functiones suas exercentibus. Unde *S. Hieron.*, Pelagianum arguens, l. 1 adversus Pelag. dicit: « Quæ sunt, rogo, inimicitia » contra Deum si tunicam habuero mundiorem? si episcopus, presbyter, diaconus et reliquus ordo ecclesiasticus » in administratione sacrificiorum candida veste processerint? »

Imo clerici eam deferebant etiam in usu civili, ut ex variis monumentis probant *Viccomes*, Card. *Bona* et *Romsée*. In concilio Carth. IV, can. 41, prohibetur ne diaconus extra tempus oblationis vel lectionis alba induatur.

Quidam eam, commoditatis causa, resecarunt, et factum est rochetum, quo canonici regulares semper induti erant: alii illud ampliarunt, et largas ei adaptarunt manicas, ut in frigore vestes pelliceas subtus induere possent, et inde venit superpelliceum.

Alba, propter albedinem, habetur ut symbolum innocentia qua ministrantes altari fulgere debent; idcirco eam induentes dicere tenentur: *Dealba me, Domine, et munda cor meum, ut in sanguine Agni dealbatus*, etc.

Debet esse linea vel cannabia, non vero ex lana vel serico, neque ex gossipio, quia tunc esset ex panno et non ex tela simpliciter dicta. Ita expresse Decretum S. R. Cong. diei 15 maii 1819, a Pio VII approbatum.

In albarum et aliarum vestium fimbriis et manicis non licet apponere fundum rubrum. S. C. R. die 17 augusti anni 1833.

3° Cingulum est appendix albæ quam decenter aptare debet, ne diffluat, terram tangat, gressum impediatur, etc.; semper enim cingulum togas oblongas comitatum est. Unde clerici vestem talarem deferentes, cingulo præcingi debent. Cingulum autem mystice consideratum est signum castitatis. Hinc nos præcingendo dicimus: *Præcinge me, Domine, cingulo puritatis, et exstingue in lumbis meis humorem libidinis, ut maneat in me virtus continentia et castitatis*.

« Sacerdotes in sacrificio missæ congruentius utantur » cingulo lineo quam serico; » Cong. Rit. 22 jan. 1701. Igitur cingulum sericum non prohibetur, sed lineum magis congruit.

Interrogata an cingulum necessario debeat esse album, S. Cong. respondit 8 junii 1709, « posse uti cingulo colore paramentorum. »

3° Manipulus, ex antiquis monumentis, quoddam erat sudarium, sic dictum a sudore ope illius tergendis, seu mantle per quod sudor et narium sordes extergebantur. Ministri altaris illud primum manu sinistra tenebant, ut dextra liberius servirent: hinc vocatum est manipula et manipulus, nempe a manu in qua tenebatur: postea brachio sinistro affixum est ut manus esset libera, et a dextra facilius ad extersionem vultus et narium adhiberetur.

Contigit ut reverentia causa sudarium istud fimbriis pretiosis ornaretur, et versus medium duodecimi sæculi verum fuerit ornamentum, sicut ostendit *P. Lebrun*.

In prima origine, cum ad extergendum sudorem destinaretur, fletum et dolorem naturaliter significabat, unde illud sumendo in sensu spirituali dicimus: *Merear, Domine, portare manipulum fletus et doloris, ut cum exultatione recipiam mercedem laboris*. Episcopus hanc vestem sumit tantum post confessionem, ad *Indulgentiam*, ut in Cæremoniali episc. l. 1, cap. 10, habetur, et *Durandus* notat, l. 4, cap. 7, n. 4, exceptis missis defunctorum, in quibus eum sumit cum aliis paramentis.

5° Stola, juxta vim nominis, idem significat ac longum

vestimentum, ut patet pluribus Scripturæ locis. Communis sententia tenet stolam nostram primo fuisse linteum tenue quo circumdabatur collum, extremitatibus ejus ante pectus pendentibus ad abstergendum os et vultum. Dicebatur etiam orarium, ab ora vestium a qua pendeat; et, propter longitudinem, nomen stolæ accepisse videtur.

Usque ad octavum sæculum, propter solam utilitatem adhibita fuisse judicatur; sed versus illud tempus pretiosior facta, velut speciale ornamentum et signum auctoritatis cœpit haberi. Solis episcopis, presbyteris, et diaconis fuit reservata, et, ad exprimendam inter eos distinctionem, mos invaluit ut episcopi eam in missa haberent pendentem, presbyteri in forma crucis super pectus, et diaconi ab humero sinistro ad latus dextrum versantem. Extra missam sacerdotes eam deferunt pendentem nisi alba induantur. Episcopi vero eam deferentes super albam, extra missam, habent in forma crucis sicut presbyteri.

Quoniam beati in cœlo repræsentantur velut stolis induti, v. g., Apoc. VI, 11; VII, 9, Ecclesia vult ut stolam sumentes dicamus: *Redde mihi stolam immortalitatis*, etc.

6° Casula, seu planeta, olim erat magna vestis rotunda totum tegens corpus, et in usu civili laicis et clericis usque ad septimum vel octavum sæculum communis: ab eo tempore fuit ornamentum episcopis et presbyteris missam celebrantibus proprium. Nomen habuit casulæ, quia, ob suam formam et amplitudinem, totum tegebat corpus sicut parva domus; et planetæ, quia, immisso capite per solam quam superius habebat aperturam, versus atilis erat circa corpus cui non adharebat.

Casulæ apud Græcos antiquam retinuerunt formam, et quæ destinantur episcopis, multis insigniuntur crucibus; quæ vero sunt presbyterorum, unicam habent crucem.

Latini, pro majori brachiorum commoditate, partes laterales earum paulatim resecarunt, donec ad formam hodiernam pervenerint: casula igitur nunc apud nos duabus constat partibus quæ antierius et posterius tegunt

corpus a collo ad genua. Tempore quo exquisitus liber de imitatione Christi scriptus est, scilicet circa initium decimi quinti sæculi, casulæ in Germania crucem ferebant in parte anteriori et posteriori; in Italia crucem habent tantum in anteriori; in Gallia autem nunc, in Germania et alibi communiter, crucem habent tantum in parte posteriori.

Cum olim necesse fuerit casulam hinc et inde elevare ad consecrationem, ut celebrans liberiora haberet brachia, mos permansit eam paululum sublevare, in testimonium antiquitatis.

Casula, totum corpus olim tegens communiter habetur ut symbolum charitatis omnia cooperientis. Unde episcopus eam imponens, dicit: *Accipe vestem sacerdotalem per quam charitas intelligitur*. Et sacerdotes eam sumendo, vocant *jugum Domini suave et onus leve*.

Quantum fieri potest, ex pannis pretiosis, nempe aureis, argenteis aut sericis, vel saltem ex panno tenui, et quo plebeii uti non solent, conficiendæ sunt casulæ, propter honorem cultui divino debitum; et ex eodem panno ordinarie conficiuntur velum calicis, manipulus et stola. Ad hunc usum converti possunt vestes mulierum pretiosæ, ut fert communis sententia, contra plures, apud Ferraris, v° *Paramenta*, n. 2.

§ I. — De necessitate, benedictione et colore vestium sacrarum.

Quamvis pleræque sacræ vestes olim communes fuerint quoad formam, ut docet *Bened. XIV*, de Missæ sacrif. l. 1, cap. 7, tanquam probabilius cum fere omnium eruditorum consensione, admittit ipsos Apostolos peculiaribus indutos fuisse vestibus a quotidianis distinctis, quando divinam Eucharistiam conficiebant; atque plurimi censent penulam, quam B. Paulus, II Tim. IV, 13, memorat, unam ex his vestibus fuisse. Certum est ab immemoriali tempore seu ab ipsis Apostolis usum fuisse missam absque specialibus illis vestibus non celebrandi. Omnes fa-

tentur hanc legem esse sub gravi, et nullam concedi dispensationem ut missa quacumque ex causa, sine ullis vestibus sacris celebretur: sic expresse docent Card. *de Lugo*, *Bened. XIV* et *S. Ligorius*, l. 6, n. 289, etc.

Celebrare sine casula aut sine alba est, juxta omnes, peccatum mortale; sine stola, aut manipulo, aut cingulo, est probabilius adhuc peccatum mortale; quia, una istarum vestium deficiente, deest cultus divino sacrificio debitus: ita communiter auctores, idem dicentes de his objectis non benedictis. Communiter tamen concedunt licitum esse, in magna necessitate, v. g., si populus sit convocatus et dimitti non possit absque scandalo, celebrare sine manipulo aut sine cingulo, vel uti stola pro cingulo, aut manipulo pro stola. Vide *Ferraris*, v^o *Missæ*, art. 10, n. 22, et *S. Ligorium*, l. 6, n. 377. *A fortiori* sine amictu celebrare liceret. Imo, ut probabile multi tradunt, per se veniale tantum esse peccatum celebrare sine amictu, aut manipulo, aut cingulo, vel uti non benedicto, secluso contemptu, quia gravis non videtur irreverentia.

Benedictio sacrarum vestium ad celebrationem missæ requisitarum est episcopalis; attamen prælati privilegiis pontificalibus utentes eas pro ecclesiis sibi subditis benedicere possunt: ita omnes, variis summorum Pontificum concessionibus innixi.

Sed inter theologos et canonistas controvertitur an episcopus facultatem sacras vestes benedicendi simplicibus presbyteris delegare possit. Extranei communius negant, et contendunt episcopos hanc facultatem concedere non posse, nisi ex pontificali indulto: sic *Bened. XIV*, Inst. 21, n. 9; *S. Ligorius*, l. 6, n. 377, dub. 4, etc. At in Gallia, ex veteri consuetudine, omnes episcopi concedere solent, ex propria auctoritate, per se vel per vicarios suos generales, simplicibus presbyteris facultatem vestes sacras et omnem suppellectilem ecclesiæ, unctionem S. Chrismatis non requirentem, benedicendi. In diœcesi nostra, omnes parochi benedicere possunt, vi n. 2 art. 6 tit. 3 statutorum synod. anni 1788, pro suis ecclesiis et capellis in sua respectiva parochia existentibus, vestes sacerdotales,

quælibet paramenta, linteamina, cruces, vexilla et ciboria. Item superiores regulares et sæculares pro suis ecclesiis.

Sacerdos qui, absque legitima delegatione, paramenta sacerdotalia benediceret, saltem venialiter peccaret; attamen valeret benedictio, quia ab ordine presbyterali pendet, et tantum jure ecclesiastico reservata est episcopo.

• Paramenta altaris, celebrantis et ministrorum debent esse coloris convenientis officio et missæ diei secundum usum Romanæ ecclesiæ; » Rubric. 1 part., tit. 18, n. 1. Quidam dicunt hanc rubricam esse tantum directivam, et non obligare sub peccato: alii vero communius et probabilius putant eam obligare sub peccato, quia enuntiatur modo præceptivo, et ita pii sacerdotes sentire videntur; sed fatentur eam non obligare sub gravi nisi aliquod exoriretur scandalum, v. g., si in die magnæ solemnitatis color violaceus aut niger adhiberetur; et rationabilem causam ab omni peccato excusare, puta si vestes debiti coloris concursui sacerdotum non sufficerent. Unde concludunt ornamentum variis coloribus distinctum pro omni colore, excepto nigro, adhiberi posse in necessitate, ut ait *Merati*, id est, ubi rationabilis causa id postulat; secus peccatum esset veniale. S. R. C. statuit, die 19 decembris 1829, ut « serventur omnino rubricæ generales; facta tamen potestatem episcopo indulgendi ut in ecclesiis pauperibus permittat illis (scilicet paramentis in quibus exstat colorum confusio) uti donec consumentur. » Si tamen unus color, v. g., albus, cæteris prævaleat, ornamentum pro eo colore adhiberi potest, ut videtur.

Quarti et *Merati* docent colorem flavum omni colori æquivalere, hincque in omni festo et officio vestibus ex panno aureo uti licere, exceptis diebus jejuniorum aliisque afflictionis, et officiis defunctorum in quibus color violaceus aut niger præcipitur. Sed S. C. R., die 16 martii 1833 respondit omnino eliminandum esse usum flavi necnon cærulei coloris. Hic tamen usus apud nos prævaluit quoad pretiosiora ornamenta in solemnioribus festis.

Paramenta sacra benedictionem suam amittunt si ita

frangantur aut in tali statu ponantur, ut usui sacro ad quem erant destinata, amplius decenter inservire nequeant; quia suam identitatem moralem jam non habent. Hinc si formam suam retinentia reficiantur, aut aliquid novi eis in minori quantitate addatur, nova benedictione non indigent, quia accessorium naturam principalis sequi congruit. Secus si aliam induant formam, aut pars addita sit major, v. g., si ex planeta fiat stola, si manica albæ detrahatur etiam per modicum tempus, si cingulum ita frangatur, ut nulla pars remanens formam cinguli convenientis habeat, etc.

Fragmenta paramentorum vetustorum semel benedictione consecratorum in usus profanos nunquam convertenda sunt, propter reverentiam eis debitam, ut in regula juris 51 expresse statuitur; sed comburenda et cineres in piscinam vel in locum honestum projiciendi sunt; *Ferraris*, v° *Param.*, n. 8, et generatim Ritualia.

§ II. — De birreto, seu biretto aut bireto.

Birreti nomine intelligitur quidam pileolus nigri coloris et quadratus, tria in summitate habens cornicula. Vulgo apud nos dicitur *bonnet carré*, quamvis sit rotundum, in forma conii elevatum, et habeat summitatem gallice dictam *houpe*.

Olim erat capitis tegumentum clericis proprium, quo a laicis distinguerentur: in concilio Salisburgensi anni 1386, can. 6, et aliis ejusdem sæculi, prohibetur eis sine birreto incedant, cum hoc honestatem clericalem non deceat. Ipsi lapsu temporum pro solis functionibus sacris usus birreti reservatus est, saltem in Gallia. In quibusdam tamen congregationibus clericorum mos erat ut in domo residentia omnes birretum semper deferrent, et mos iste usque ad perturbationem rerum publicarum, an. 1791, perseveravit.

Ex Rubrica, part. 2, tit. 2, quilibet sacerdos celebraturus, ad altare accedens vel rediens, birretum in capite habere tenetur: « Optandum foret, inquit *Romsée*, ut adlu-

adverterent multi in præsentis puncto deficientes. » In Italia et præsertim Romæ non permittitur ut ipsi extranei ad altare sine birreto accedant.

Similiter in aliis partibus officii ecclesiastici, in sacramentorum administratione adhibendum est birretum ubi præscribitur. Cong. episc. 13 maii 1616 et Rit. 30 martii 1633, decreverunt canonicos incedere teneri detecto capite in ecclesia, cum birreto in capite extra eam, et birreto, non vero pileolo, *calotte*, uti debere in choro. Usum birreti, vel pileoli vulgo *calotte*, in missa, etiam extra Canonem, solus Papa concedere potest, ut decreverunt Cong. episc. et regul. 2 januarii 1590 et 17 junii 1595, et Congr. conc. Trid. 16 feb. 1619. Nec eo uti potest episcopus sine Sedis Apostolicæ licentia, juxta decreta S. Rit. Congr. 25 april. 1626 et 13 aug. 1695. In Gallia tamen episcopi illius usum usque ad Secretas permittunt, juxta *Collet*, et eo ipsi sine licentia summi Pontificis utuntur. Sed *Bened. XIV* utrumque expressis verbis reprobandum docet in Inst. 96.

Usus Romæ receptus est episcopum eo sic uti usque ad finem Præfationis.

Plures S. Rit. Cong. decisiones prohibent ne quilibet sacerdos etiam canonicus, episcopo actu inserviens, pileolum in capite habeat.

Cum apud Sinenses caput discooperire sit irreverentia, Paulus V permisit missionariis in eorum imperio degentibus intra missam uti pileolo a vulgari tamen distincto, referente *Bened. XIV*, Inst. 96, n. 2. Eo absque dispensatione legitima extra Canonem uti, absque scandalo, mortale non judicatur esse peccatum; et si rationabilis causa id suaderet, v. g., subitanea et gravis infirmitas quæ recursum ad episcopum non permitteret, nullum esset peccatum, ut ipse *Bened. XIV* agnoscit, de Missæ sacrif., l. 1, cap. 9, n. 3.

Idem Pontifex, in eadem Inst. 96, de coma fictitia, *per-ruque*, ex professo disserens, contendit 1° clericos sacris ordinibus initiatos eam in nullo loco deferre posse; 2° nullum sacerdotem cum coma fictitia missam celebrare posse, et 3° in Inst. 34, § 4, episcopos ab ea prohibitionem dispen-

sare non posse, et sententiam quæ talem potestatem eis attribuit, a Sede Apostolica nunquam fuisse probatam. Attamen in Gallia solent episcopi hanc dispensationem concedere; imo comæ fictitiæ ita communes evaserunt, ut clericis non videantur prohibita etiam in celebratione missæ, ut advertit D. *Devie*, episc. Bellicensis, in suo Rituali recenter impresso.

§ III. — De dalmatica et tunica, nec non specialibus episcopi paramentis.

Dalmatica, olim tunica talaris, cum amplis manicis, nomen accepit a Dalmatia, quia in ea regione hujusmodi vestis fuit communis; deinde facta est ornamentum quo reges, imperatores alique viri in dignitate constituti decorari consueverunt, ut ostendit *Grancolas*. Ad usum ecclesiasticum transiit. *Anastasius* Bibliothecarius, in nono sæculo scribens, dicit a S. Sylvestro institutum fuisse ut diaconi dalmatica uterentur in ecclesia (intellige Romana); papa *Symmachus*, in sexto sæculo, usum dalmaticarum concessit diaconis ecclesiæ Arelatensis, et S. Greg. Aregio, episcopo Vapicensi, idem privilegium sibi et suo archidiacono poscenti, respondit, Epist. l. 9, epist. 107: « Te vel archidiaconum tuum dalmatica decorandos esse » concessimus. » Ille usus omnibus episcopis, presbyteris et diaconis factus est communis per Gallias in octavo vel nono sæculo: episcopi et presbyteri eam subtus casulam deferebant.

Tunica, quæ erat vestis subdiaconis propria, a dalmatica in eo differebat quod strictior esset: nunc ad eandem formam reducta est.

Nullibi simplices presbyteri dalmaticam subtus casulam nunc deferunt: verum episcopi solemniter celebraturi, tunicam seu tunicellam et dalmaticam, ex Ordine Romano XIV, § 48, induendi sunt. Episcopales illæ vestes ex tenui panno serico confici solent, et coloris officio respondentis esse debent.

Quoniam dalmatica est vestimentum lætitiæ, sicut casula, diaconi et subdiaconi, in Quadragesima aliisque

diebus pœnitentiæ, in solis ministrant albis, et induunt casulam ante pectus plicatam ad cantandum respective epistolam et evangelium, eamque postea statim deponunt, juxta ritum Romanum. Ita *Durandus*, *Gavantus*, *Romsee*, etc.

Quædam sunt alia paramenta episcopis solemniter celebraturis ex Ordine et Pontificali Romano propria, nempe 1º *compagi et sandalia*, — *des bas et des souliers*: quando statutum fuit ut ministri altaris, reverentiæ causa, speciales haberent vestes ut officiis suis recte fungerentur, mutabant etiam compagos et sandalia, quem usum soli episcopi et prælati pontificalia habentes in nonnullis circumstantiis retinuerunt. 2º *Chirothecæ, gants*, sic dictæ a verbo græco *χειρῶν*, *manuum vagina*, quia manuum sunt ornamenta. *Honorius* Augustodunensis, in duodecimo sæculo scribens, dicit earum usum ab Apostolis traditum fuisse, quod nullo quidem nititur fundamento; verumtamen sunt antiquæ. 3º *Annulus*, cujus fit mentio apud *S. Isidorum* Hispalensem, in septimo sæculo, tanquam signi honoris episcopalis, ad exprimendum episcopos eminenter debere esse discretos, et secretorum custodes. 4º *Baculus, crosse*, qui est velut sceptrum et virga episcopi, ac proinde signum ejus auctoritatis. Patet ex *S. Isidoro*, l. 2, cap. 5, illius usum jam fuisse antiquum in septimo sæculo. Summus Pontifex hujusmodi non habet baculum, quia in solemnitatibus non ambulat pedibus, sed portatur. Abbates, e contra, eum habent ut symbolum suæ dignitatis. Alius est baculus, signum honoris, quem præcentor defert in choro, et cujus *Honorius* supra citatus meminit in *Gemma animæ*, l. 1, cap. 24. 5º *Crux pectoralis*: primitus episcopi capsulam reliquias continentem e collo pendentem deferebant, ut videtur in Vita *S. Germani Antissiodorensis* et *S. Greg. Turon.* Deinde cruces ligneas, argenteas vel aureas habuerunt, et ille usus factus est generalis. 6º *Mitra*: *Euseb.*, Hist. l. 3, cap. 31, refert *S. Joannem*, ad instar summi sacerdotis Judæorum, laminam in capite gestasse: idem legitur de *S. Jacobo Hierosolym.* apud *S. Clementem Alexandrinum*. Hinc juxta

Card. *Bona*, *Grancolas*, *Devoti* et alios, natus est mitræ episcopalis usus: hodierna tamen illius forma ultra decimum sæculum non ascendit, ut ostendunt Card. *Bona*, PP. *Ménard*, *Martène*, *Mabillon*, etc. Triplicis generis distinguuntur mitræ, videlicet simplex, auriphrygiata et pretiosa. Inter abbates alii habent annulum et baculum tantum; alii vero habent etiam mitram cum cæteris ornamentis pontificalibus. Inter eos qui privilegio pontificalium gaudent, alii solam mitram simplicem deferunt, alii mitram auriphrygiatam, et nulli pretiosam.

§ IV. — De cappa seu pluviali, superpelliceo, etc.

Durandus, l. 3, cap. 1, n. 13; *Honorius August.* in *Gemma animæ*, l. 1, cap. 227, cappam describunt ostenduntque eam tunc eandem habuisse quam nunc habet formam. Primitus quoddam erat tugurium contra pluviam, unde vocatur pluviale, et ideo habet caputium quo olim tegebatur caput. Ab usu communi ad conditionem specialis ornamenti transiit, sicut aliæ pleræque vestes sacræ.

Non solum episcopus et presbyter, sed inferiores clerici ipsique laici, officio cantorum fungentes, cappas seu pluvialia deferre possunt.

Pluviali utitur sacerdos, ex Rubrica, in processionibus sanctissimi Sacramenti et in quibusdam aliis, in benedictionibus quæ fiunt ad altare, in officio solemnium laudum et Vesperarum, quando assistit episcopo solemniter celebranti, post missam defunctorum, ad faciendam absolutionem. Nunquam habendus est manipulus cum pluviali seu cappa.

Gavantus dicit cappas non esse benedicendas, quia omnibus ecclesiasticis sunt communes, et ad sacrificium non ordinantur. *Quarti* vero et *Merati* concedunt nullum dari præceptum eas benedicendi, sed volunt melius esse eas benedicere sub forma pro indumentis sacerdotalibus in genere assignata.

Superpelliceum sic dictum est quia super tunicas pelli-

ceas induebatur. Ita *Durandus*, l. 3, cap. 1, n. 10. *S. Hieron.*, l. 1 adversus Pelag., supra citatus, meminit candidæ vestis ad usum episcopi, presbyteri, diaconi et reliqui ordinis ecclesiastici: hæc autem vestis erat tunica albæ similis, unde venit rochetum et superpelliceum, ut jam notavimus. Item et cotta, in Italia usitata, quæ formam habet tunicellæ rochetto contractionis. Superpelliceum, rochetum et cotta fieri debent ex lino tenui, vel ex canabe, vel probabiliter ex xyliuo: ita passim fieri solent, et non videmus cur mos iste reprehenderetur. Illæ vestes quæ candidæ et mundæ semper esse debent, non benedicuntur, nec ideo reputantur sacræ.

ARTICULUS NONUS.

DE RUBRICIS SERVANDIS.

Rubricæ sic dictæ, quia rubro colore olim scribi solebant, quædam sunt regulæ communes, continentes ritus in celebratione missæ, officii divini recitatione et sacramentorum administratione servandos. Aliæ sunt præceptivæ et aliæ directivæ. Præceptivæ eæ sunt quæ ad servandos ritus illis præscriptos obligant sub peccato; et directivæ illæ sunt quæ proprie dictam obligationem non imponunt, sed per modum consilii et instructionis statuuntur. Ita generaliter theologi quamvis accuratam non tradant regulam qua præceptivæ a directivis tuto secernantur.

Hic dicemus 1º de obligatione rubricarum ad missam spectantium; 2º de modis quibus contra rubricas peccari possit in missa; 3º quasdam exponemus observationes in cæremonias et ritus missæ privatæ; 4º item et missæ solemniss.

§ I. — De obligatione rubricarum ad missam spectantium.

1º Probabilius nobis videtur omnes rubricas intra missam seu in actu celebrationis servandas, esse præceptivas, ac proinde sub peccato obligare. Nam 1º concilium Trid., sess. 7, can. 13, anathemate percutit eos qui dixerint « approbatos Ecclesiæ ritus in solemnium sacramentorum